

## DOMINICANER-ORDENS-KLOSTER ZU PIRNA.

No. 196. 1317. 30. März.

*Beilegung der Irrungen zwischen dem Kloster und dem Stadtpfarrer.*

In nomine domini amen. Quemadmodum tempus defluens est etc. Nos igitur Henricus miles dictus de Bran capitaneus, Henricus advocatus, Bertoldus magister civium ac iurati civitatis in Pirna notum esse volumus universis praesentem litteram audituris, quod cum inter priorem et fratres ordinis praedicatorum in Pirna ex parte una et dominum Albertum plebanum ibidem ex altera materia dissensionis ex causis diversis fuisset exorta, nobis mediantibus amicabilem intercessit concordia sub formis inferius annotatis. Dicti fratres suis libertatibus gaudere debent et frui prout eis a sede apostolica est concessum, videlicet in praedicationibus faciendis, in confessionibus audiendis, in poenitentiis iniungendis et absolutionibus faciendis, ita tamen quod ipsi fratres publicent et hortentur populum, quod quilibet homo confiteatur ad minus semel in anno suo proprio sacerdoti quocumque tempore confitenti videbitur expedire. Item debent habere liberam sepulturam, sic quod nullus inducatur vel abducatur, et idem qui eligit sepeliri apud fratres per eos non debet processionaliter apportari, sed plebanus vel eius capellanus dictum funus cum processione scolarium ad portam fratrum tenebitur praesentare nec vigiliae per fratres dicantur in domibus circa corpora defunctorum, hoc addito si amici cuiuscumque defuncti sine processione fratrum corpus ad ecclesiam fratrum causa devotionis attulerint et missam sibi cantari petierint, a plebano prohiberi non debent vel etiam aliquo modo molestari. Item testamenta fratribus legata salva sine contradictione qualibet remanebunt, si quis vero fratrum ad infirmum vocatus fuerit, plebanus et parochiam debet diligentius promovere, quod ipse cum suis capellanis facere tenebitur e converso. Ad haec si aliqua puella vel mulier induerit habitum beginnerum et processionem facere voluerit, illam in ecclesia parochiali primo facere teneatur, postmodum autem si placet sibi faciat apud fratres. Insuper fratres omnes iniurias turbationes et molestias per plebanum vel suos ipsos illatas amore amicorum suorum et nostri interventus benivole relaxarunt. Et sic omnis dissensio, quae fuit inter fratres et plebanum, est amicabiliter consopita, eo salvo si dominus episcopus Misnensis generale statutum faceret, quod vellet ab omnibus inviolabiliter observari, si plebanus in tali statuto esset suo episcopo obediens, in hoc non deberet violator concordiae reputari, sed fratres possent in hoc solo agere contra plebanum vel episcopum ubicumque invenirent iustitiae complementum; de citatione autem nunc facta per dominum Hildensheimensem episcopum et conservatorem privilegiorum fratrum prae-